

PHARMACOPŒIA
MEDICI PRACTICI.

SALES ET SALINA.

I. SALES ACIDI seu ACIDA.

ACIDUM ACETICUM, destillatum.

SYNONYMA. *Acetum purum concentratum;*
acetum destillatum; acidum acetosum;
spiritus aceti. G. Acide acétique.

℞. Aceti vini (vel cerevisiæ) libras sex.

Caloris gradu 213° therm. Fahrenheitiani
(81° Reaumuriani) ex alembico, balneo
aquæ circumdato, destillet liquidi pars quar-
ta, quæ phlegma est. Mutato tunc excipulo
continua destillationem, donec libræ quatuor
prodierint; seu quamdiu limpidus transit
liquor, quem in vasis probe clausis usui serva.

Acidi sulphurici libras quinque.

Immitte salem in retortam tubulatam, in balneo arenæ calido locatam, eique superfunde acidum sulphuricum et caute destilla ad siccitatem. Liquorem in excipulo obtentum in vasis exactissime clausis usui conserva.

Vel :

℞. Aceti puri libras sex.

Oxydi manganesii libram unam.

Misce et leni igne destilla.

NB. Acidum aceticum hoc modo obtentum non est *oxygenatum* ut vulgo creditur; sed simpliciter concentratum ut DARRACQ nuper demonstravit.

Usus præcipue *externus* pro odoratu : Pestis; syncope; asphyxia; morbi soporosi; spasmi hysterici, cephalæa, etc.
— *Item* pro parando æthere acetico.

ACIDUM BENZOICUM.

SYN. Flores benzoës; sal benzoïn. G. *acide benzoïque*.

℞. Balsami styrax-benzoin concreti pulv.
quantum placet.

Destilla ex retorta vitrea cum amplo excipulo juncta. Balsamum destillatum, hoc modo maxime divisum, dilue

Aquæ destillatæ sextuplo.

Coque leniter per mediam horam dein decantatum liquorem evapora et ad crystallisandum depone. Crystallos sic obtentas in vase probe clauso usui serva.

VIRTUS : Expectorans ; stimulans ; sudorifica.

USUS : Morbi pulmonum atonici , pituitosi.

DOSIS : Grana sex-decem bis terve de die.

ACIDUM CARBONICUM.

SYN. *Acidum aëreum ; aër mephiticus ; aër fixus ; acidum cretaceum.* G. *Acide carbonique.*

Constat, partibus duabus (cum fractione) carbonis puri, et parte unâ oxygenii.

Ex carbonate calcis pulv. ope acidi sul-

phurici, vel melius ope acidi muriatici, aquâ diluti elicitur.

Usus : Potissimum ad aquas minerales artificiales acidulas parandas.

ACIDUM CITRICUM.

SYN. *Acidum citri depuratum s. concentratum; acidum limoniorum; succus citri s. limoniorum concentratus. G. Acide citrique.*

N. Succi fructus Citri medicæ maturi expressi et probe defæcati quantum placet.

Expone in vase vitreo in balneo aquæ gradui caloris 212° th. Fahr. (80° R.) unde pars ejusdem coagulatur, qua abjecta acidum remanens concentratum et purificatum in vasis probe clausis longo tempore bonum conservari potest.

ACIDUM CITRICUM, gelu concentratum.

N. Succi ex fructu Citri medicæ maturo in

loco ejus natali expressi et probe defaecati quantum placet.

Expone gradui frigoris inter 23° et 26° th. Fahr. (inter 3 et 4° infra zero th. R.) constanter et diligenter tollendo glaciem prout formatur; vel pertundendo glaciem effunde succum concentratum in aliud vas, et sic repetitis vicibus congelationem repete, ita ut non nisi una tertia pars succi remaneat, qui in vasis probe repletis et clausis longo tempore sanus servari potest.

Si hujus succi sic concentrati pars una cum partibus sex sacchari albi probe siccati et pulv. misceatur lentis intervallis ita ut saccharum post singulam instillationem succi tempus siccandi habeat, dein ad finem tota massa trituretur, obtinetur *Limonada sicca*, quæ in vasis probe clausis usui servetur.

Pars hujus pulveris in aqua soluta dat limonadam gratam ex tempore quando placet parandam.

NB. Prof. VAUQUELIN, observavit gummi quodcumque in aqua solutum, in acidum citricum mutari, si per hanc solu-

tionem gaz acidum muriaticum oxygenatum transire cogitur.

ACIDUM MURIATICUM, concentratum.

SYN. *Acidum muriaticum fumans; spiritus salis fumans Glauberi; acidum salis; spiritus salis marini acidus. G. acide muriatique.*

Gravitas ejus specifica ad pondus aquæ destillatæ sit ut 1,170 ad 1,000.

℞. Muriatis sodæ siccati et pulv. libras quatuor.

Inde in retortam tubulatam quæ in balneo arenæ locata jungatur cum apparatu destillatorio *Woulfiano*, in quo prævie aquæ destillatæ unciae sedecim distribuantur. Commissuris omnibus probe luto obductis, postquam lutum ubique bene siccatum fuerit, adjice per aperturam tubuli lente et caute:

Acidi sulphurici concentrati, libras duas. Postquam effervescentia subsedit, ignem sensim administra, donec massa bulliat;

gaz acidum quod in primum excipulum transit, cum aqua destillata ibidem præsente sese jungens format *Acidum muriaticum concentratum* perfecte limpidum et fumans. Vapores in secundum et tertium excipulum transeuntes, ibique aquæ sese jungentes *Acidum muriaticum dilutum* constituunt quod impræguando majori quantitate vaporum acidorum, æque concentratum reddi potest ac primum.

U^SUS aqua diluti : Ischuria renalis ; dysuria. — Concentrati cum melle *externus* : Aphthæ. — *Item* ad varia præparata pharmaceutica. — Forma vaporum ad putrida aëris effluvia corrigenda.

ACIDUM MURIATICUM, oxygenatum.

SYN. *Acidum salis dephlogisticatum.* G.
Acide muriatique oxigéné.

℞. Oxydi manganesii nigri libram semis.

Acidi muriatici concentrati, libras tres.

Magnum alembicum vitreum aut retortam tubulatam in balneo arenæ loca, et cum

excipulo minore, idque cum apparatu destillatorio *Woulfiano* junge. Commissuras omnes primum luto grasso, deinde linteis, luto ex calce et albumine ovi parato, madidis probe obduce. Postquam omnia bene siccata fuerint, oxydum manganis per aperturam alembici aut retortæ tubulatæ inde, eique adjice Acidi muriatici uncias tres, et leni igne destilla. Dum nihil amplius in excipulum transit, uncias tres ejusdem acidi adjice, destilla ut prius et sic continua donec acidi libræ tres hoc modo sensim affusæ fuerint.

NB. Durante destillatione fissuras luti, si quæ acciderint, constanter cura.

Si acidum muriaticum ad manus non sit, acidum muriaticum oxygenatum etiam parari potest, affundendo gradatim ut mox dictum fuit, miscellæ ex libris decem muriatis sodæ et oxydi manganis pulv. libris quatuor paratæ

Acidi sulphurici libras decem.

Destilla leni igne ut prius dictum fuit.

Usus internus : Scorbutus ; herpes ; syphilis ?

Externus : Ulcera. — Item ad præparata quædam pharmaceutica.

ACIDUM NITRICUM, concentratum.

SYN. *Acidum nitri præcipitatum s. concentratum ; acidum nitri purum s. limpidum ; aqua fortis præcipitata ; spiritus nitri acidus. G. Acide nitrique.*

Gravitas ejus specifica ad aquam destillatam sit ut 1,500 ad 1,000 (seu 30 ad 32° aërometri BAUMEANI).

℞. Nitratis potassæ puri pulv. libras quatuor.

Inde in retortam tubulatam, quæ in balneo arenæ locata cum apparatu destillatorio *Woulfiano* jungatur, commissuris omnibus probe luto munitis. Siccato luto, adjice per aperturam tubulatam

Acidi sulphurici libras duas.

Destilla, aucto sensim igne ad siccitatem.

Pro re nata acido sulphurico substitui potest Sulfas ferri æquali cum nitrato potassæ pondere. Residuum post destillationem in

priori casu est sulfas potassæ, in posteriori sulfas ferri cum sulfate potassæ mixtus.

Acidum nitricum æque ac muriaticum aqua mixtum sulfate calcis usto concentrari facile potest.

NB. Nitras potassæ, etsi probe purificatus, semper particulas aliquot acidi muriatici continet, quod cum pauca portione acidi sulphurici in excipula transit et acidum nitricum inquinat. Acidum sulphuricum auferitur instillando nitratis barytæ liquidi quantum satis, donec nihil amplius præcipitetur. Acido muriatico autem liberatur liquor, instillando guttas aliquot nitratis argenti liquidi; in quo casu, acidum muriaticum sese jungit argento et sub forma præcipitati non solubilis fundum petit. Acidum nitricum hoc modo purissimum et limpidum supernatans, à præcipitato subsidente decantetur, destilletur et in vasis optime clausis, in loco obscuro ab accessu radiorum solarium caute servetur.

Si acidum nitricum purum et limpidum radiis solaribus exponitur, fit quædam ejus principiorum decompositio et acidum parte

oxygenii privatum colorem rutilantem assumit et tunc *Acidum nitrosum* vulgo *Acidum nitri fumans*, *spiritus nitri Glauberi*.
G. Acide nitreux, audit.

Acidum nitricum constat partibus septem oxygenii, partibus tribus nitrogenii s. azoti et aqua; id est libra una constat circiter unciiis duabus et drachmis septem oxygenii, unciiis duabus nitrogenii seu azoti, et unciiis tredecim aquæ. Acidum nitrosum ab acido nitrico non differt, nisi minore proportionem oxygenii.

Usus: Hepatitis chronica; syphilis? herpes? psora; hydrops. — *Item* ad præparata varia pharmaceutica. *Externus*: Verrucæ aliæque excrescentiæ.

Dosis: Drachma una — duæ ad libras duas aquæ pro potu quotidie.

Vel:

℞. Nitri puri pulv. uncias nonaginta sex.

Acidi sulphurici uncias sexaginta.

Destilla ex retorta in excipulum. Acidum nitrosum prodiens leni evaporatione, abigendo gaz nitrosum, converte in acidum

nitricum concentratum eo gradu quo desideras. Si ignis gradus nimium augetur, pars acidi nitrici simul avolat.

NB. Acidum nitricum in acidum nitrosum converti potest, dum gaz nitrosum per acidum nitricum transigitur. Sed ut hæc conversio locum habeat, acidum nitricum ultra gradum trigesimum concentratum esse debet, alias gaz nitrosum per acidum transit et avolat, absque quod cum acido nitrico ullo modo jungatur. Hinc patet 1° Quod acidum nitrosum rutilans, dum aqua mixtum interne assumitur, nullo modo in ventriculum veniat qua acidum nitrosum, sed qua acidum nitricum; nam dum acidum nitrosum aqua miscetur, gaz nitrosum avolat et acidum nitricum cum aqua junctum post se relinquit. 2° Nitrum depuratum semper pauxillum acidi muriatici continet, quod pro usu interno non officit et negligi potest. At si acidum nitricum purissimum requiritur, eidem instillantur guttulæ aliquot nitratis argenti liquidi, unde argentum cum acido muriatico junctum præcipitatur; dein denuo destilletur ut a præcipitato perfecte separetur.

ACIDUM NITRICUM, dilutum.

SYN. *Aqua fortis; acidum nitri vulgare; spiritus nitri vulgaris.*

- ℞. Acidi nitrici concentrati,
Aquæ destillatæ, ana partes æquales.
Gradatim et caute misce et usui serva.

ACIDUM OXALICUM.

SYN. *Acidum acetosellæ; acidum oxalium; acidum sacchari (BERGMAN.)*
G. *Acide oxalique.*

- ℞. Salis acetosellæ vulgo venalis (id est, Oxalatis potassæ aciduli), quantum placet.

Dissolve in

Aquæ quantum opus.

Dein adde

Ammoniacæ quantum satis ad perfectam saturationem.

Solutioni huic ex acido oxalico, ammoniaca et potassa compositæ, instilla

Nitratis Barytæ liquidi, quantum satis.

Oxalas Barytæ hoc modo præcipitatus,

effuso liquore salino supernatante, aqua probe lavetur, eique addatur

Acidi sulphurici diluti quantum satis

Ad saturandam barytam, quæ sub forma sulfatis barytæ fundum petit. Dein liquori supernatanti instilla

Oxalatis barytæ in aqua calida soluti quantum satis, ut omne acidum sulphuricum in liquore contentum præcipitetur.

Liquor remanens leni igne evaporatus dat *Acidum oxalicum crystallisatum*.

Usus. Optime servit hoc acidum ad terram calcaream in aquis mineralibus detegendam. — *Item*, pro paranda limonada in defectu succi citri.

ACIDUM PHOSPHORICUM,

(BRUGNATELLI.)

G. *Acide phosphorique.*

Gravitas ejus specifica ad aquam sit ut
2,687 ad 1,000.

℞. Phosphori libram unam.

Alcoholis concentrati, libras quatuor.

In vase vitreo mixtis affunde

Acidi nitrici libras octo.

Acidum hoc gravitate sua specifica phosphorum inter et alcohol natans, mox in alcohol et paulo post, in phosphorum subjacentem agit, cum priore ætherem phosphoricum constituens, dum posteriorem in acidum phosphoricum vertit, sub magna calorigi expulsione et ebullitione spontanea continua, donec æther omnis avolaverit et phosphorus totus in acidum phosphoricum conversus fuerit. Massa refrigerata constans acido phosphorico liquido cum portione acidi nitrici mixto, in balneo arenæ evaporata, fugato acido nitrico, dat acidum phosphoricum purum et concentratum quod refrigeratum in crystallos diaphanas abit.

Idem acidum etiam parari potest ex bacillis phosphori vasi vitreo tecto immissis cujus fundus foraminulo instructus sit ut aëri accessus pateat et acidum prout formatur defluere possit.

Usus : Anaphrodisia? *Externus* : Arthrodynia podagrica, aliive morbi ossium? —

Item ad parandum phosphatem sodæ.

ACIDUM SULPHURICUM, concentratum.

SYN. *Oleum vitrioli ; acidum vitriolicum s. sulfuricum ; acidum vitrioli concentratum. G. Acide sulfurique.*

Gravitas ejus specifica sit ad aquam destillatam ut 2,000, usque 2,125 ad 1,000.

Areometer BEAUMEANUS sexaginta sex gradus notare debet et vas quod capit unciam unam aquæ destillatæ, unciam unam et drachmas septem hujus acidi capere debet.

Centenarius hujus acidi constat sexaginta novem partibus sulphuris et triginta et una oxygenii (BERTHOLET).

Hoc acidum hodie pro maxima parte combustionem sulphuris in cameris magnis clausis paratur.

Si casu, aut lapsu temporis aquam attraxerit, aut limpiditatem amiserit, in retorta vitrea ad modicum ignem coquatur, donec liquor destillans guttulis, roris instar, in collo retortæ appareat. Tunc liquorem limpidum

in retorta remanentem adhuc calidum transfunde in lagenam vitream siccam, quam epistomio vitreo probe clausam ab aëris accessu usui serva.

Si heterogeneis inquinatum sit, ex retorta vitrea vel ferrea destillari debet, caloris gradu sufficiente, unde acidum in excipulum transit purum. Si aquam admixtam habet, concentrari facile potest addito sulfate calcis usto.

Usus : Ad præparata varia.

ACIDUM SULPHURICUM, dilutum.

SYN. *Spiritus vitrioli; acidum vitriolicum dilutum.*

℞. Acidi sulphurici unciam unam.

Aquæ destillatæ uncias octo.

Caute misce, acidum sensim instillando aquæ.

VIRTUS : Potenter antiseptica; antizymica; roborans.

Usus : Febris petechialis; hæmorrhagiæ; morbi spasmodici ex nimia irritabilitate orientes; dyspepsia; pyrosis; gas-

trodynia ex acido; psora aliique cutis morbi. *Externus*: Morbi cutis; ulcera atonica, putrida; tonsillitis gangrænosa.

ACIDUM SUCCINICUM, crystallisatum.

SYN. *Acidum succini; sal volatile succini.*

G. *Acide succinique.*

℞. Succini quantum placet.

Expone moderato ignis gradui in retorta vitrea ampla excipulo juncta. Acidum succinicum partim sublimatur, partim cum oleo in excipulum transit. Simul mixtis adjice aquæ quantum satis ut sal omnis perfecte solvatur. Liquorem acidum ab oleo separatim leniter evapora, cola et ad crystallisandum depone. Crystallos collectas, solutione in aqua calida et crystallisatione repetita depuratas, usui serva. Oleum cum aquæ sextuplo mixtum ex cucurbita vitrea alembico instructa destilla caloris gradu aquæ ebullientis. Liquor limpidus transiens, ab aqua separatus, est Oleum succini, quod

ACIDI.

21

in vase probe clauso in loco obscuro, vel potius in vase terreo, usui servetur.

VIRTUS : Antispasmodica; sudorifica; diuretica.

USUS : Morbi spasmodici; paralysis.

DOSIS ACIDI : Grana sedecem—viginti.

ACIDUM TARTAROSUM, crystallisatum.

SYN. *Acidum tartari crystallisatum; sal essentielle tartari; acidum tartari purum; acidum tartaricum. G. Acide tartareux.*

℞. Tartritis potassæ aciduli libras septem.

Aquæ fervidæ libras viginti quatuor.

Fiat solutio; dein adde

Calcis pulv. libras duas.

Filtra liquorem et tartritem calcis in filtro remanentem aqua frigida ablue, eique adde

Acidi sulphurici concentrati (aquæ libris viginti diluti) libras duas.

Digere per viginti quatuor horas, sæpius agitando; dein decanta liquorem

acidum et sulfatem calcis residuum aqua ablue donec plane insipidus sit. Liquores acidos commixtos cum pulvere carbonum coque, filtra et ad siccitatem evapora, sedulo movendo; vel si placet, evapora liquorem ad remanentiam librarum circiter octo, et refrigeratum filtra, dein leni calore in crystallos redige, quas siccatas usui conserva.

Liquor à prima filtratione residuus continet potassam. Si vero loco calcis, carbonas calcis aut testæ ostrearum præparatæ adhibitæ fuerint, liquor continet tartritum potassæ.

NB. Si liquor ultimus ex acido tartaroso constans portionem acidi sulphurici continet, super tartritum calcis digerendus est, antequam evaporationi et crystallisationi exponatur.

VIRTUS : Acida ; antiseptica ; diuretica ; refrigerans.

USUS : Febres.

DOSIS : Drachma una semis ad libras duas aquæ, pro potu ordinario.

Idem Acidum etiam sequenti methodo
parari potest :

℞. Tartritis calcis pulv. libram unam.

Adde

Acidi sulphurici aqua diluti, libras sex.

Ut acidum tartarosum purum obtineatur sine labe acidi sulphurici, effunditur liquor, eique additur portio tartritis calcis, donec nulla amplius fiat præcipitatio. Hoc liquidum dein lento igne evaporatur ad consistentiam mellis, sub qua forma ab aëris accessu seclusum diu integrum servari hoc acidum potest.

II. SALES ALCALINI S. ALKALIA.

AMMONIACA.

SYN. *Alcali volatile purum s. causticum ;
alcali volatile fluor ; spiritus salis ammoniaci cum calce viva paratus ; spiritus salis ammoniaci causticus ; aqua ammoniacæ puræ. Ph. L. Aqua ammoniacæ causticæ. Ph. Ed. Liquor ammoniaci caustici. Ph. B. G. Ammoniaque.*

Ammoniaca constat partibus quinque